

cumque sunt vera, justa et sancta in Ecclesia Dei observentur, sed etiam intrepide arguendi peccantes ut et caeteri timorem habeant et scandalum de medio tollatur. Denique episcopi etiam patres sunt constituti in domo Dei et familia sanctorum, patres, inquit, qui quotquot in Jesu Christo per Evangelium geniti et ex aqua et Spiritu sancto renati sunt, paterno affectu complectantur ac foveant, debiles in bono proposito sustentent, pusillanimes consolentur, aberrantes reducant, infirmos consolident, contractos alligent, depravatos convertant, eos qui perierunt querant, inquietos corripiant, recalcitrantes castigant, charitatem in omnes, praesertim in aegros, et miseros foveant atque ita ministerium suum implentes et in omnibus bonorum operum exemplum seipsos praebentes, sollicitudine indefessa in id incumbant ut quos Deus redemit Deo adducant in vitam aeternam (Hilar. in *Matth.* cap. XXVII. — Chrysost. hom. 59 in *Joann.*) »

ADNOTATIO VIII.

Lib. I. Tit. XXXI, § III, n. 82, pag. 13.

DE POTESTATE EPISCOPORUM IN REGULARES EXEMPTOS.

Eruditis commendantur tres appendices a Giraldo fusissime concinnatae, part. I, sect. 490. In prima referuntur ea quae concilium Tridentinum permittit episcopis in exemptos tanquam apostolicae Sedis delegatis; in secunda enuntiantur ea quae concilium Tridentinum et constitutiones pontificiae posteriores tribuunt episcopis in regulares exemptos; in tertia vero recensentur nonnulla in quibus regulares exempti non subduntur episcopis. Illae tres appendices omnem materiam, exemptos et in primis regulares exemptos respicientem, cuique legenti praebent.

ADNOTATIO IX.

Lib. I. Tit. XXXI, § IV, n. 103, pag. 16.

AN ABBATES AD SYNODUM DIOECESANAM ACCEDERE TENEANTUR?

« Quoad onus accedendi ad synodum, inquit Giraldu, ad hanc accedere tenentur :

« I. Abbates saeculares, intra episcopi dioecesis existentes, nec ullo exemptionis praetextu possunt se ab eo eximere, et aeneis a jure statutis coerceri possunt ab episcopo, si accedere noluerint, ut notat Benedictus XIV, *de Syn. dioc.* lib. III, cap. 1, n. 3.

« II. Praepositi, qui ex privilegio Pii IV et ex antiqua consuetudine habet praeterea usum mitrae et baculi pastoralis, et una cum eo canonici; ex decretis S. Congr. conc. 5 april. 1732, et 29 aug. 1753.

« III. Abbates regulares, generali capitulo non subjecti, ex Trident. cap. II, sess. XXIV *de Reformatione.*

« IV. Regulares, curam animarum habentes, sive subjecti sint capitulo generali, sive non; cit. cap. II.

« Eximuntur tamen ab hoc onere abbates, qui subduntur capitulis generalibus, cit. cap. II, sicuti et abbates meliori exemptione praediti, habentes nempe territorium separatum cum vera qualitate nullius, laud. Benedictus, loco cit. n. 16. (*Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 193). »

ADNOTATIO X.

Lib. I. Tit. XXXI, § VI, n. 171, pag. 27.

DE REGULARIBUS EXEMPTIS.

Consulantur variae casuum species, in appendicibus a Giraldo elaboratis, part. I, sect. 491, exhibitae; de quibus supra Adnotatione VIII.

ADNOTATIO XI.

Lib. I. Tit. XXXII, De officio judicis, § I, n. 31, pag. 32.

DE IMPLORATIONE OFFICII JUDICIS.

« Ex constitutione Benedicti XIV, *Romanae* 21 decemb. 1744, officium judicis implorari non potest in ditione ecclesiastica ad interponenda decreta voluntariae jurisdictionis in contractibus mulierum, minorum et impuberum, nisi iudex laurea doctorali in aliqua publica et approbata studiorum universitate sit insignitus, sub poenis ipso facto incurrendis, nullitatis decreti et infamiae respectu ipsius judicis, et perpetuae inhabilitatis ad quaecumque officia et magistratus, aliisque afflictivis Sedis apostolicae arbitrio infligendis.

« Ubi vero desit iudex laicus sic laureatus, decreta hujusmodi interponenda sunt ab episcopo sive ab illius generali vicario, vel alio loci ordinario iudice ecclesiastico, etiamsi agatur de bonis laicibus et inter mere laicos.

« Romae vero, interponenda sunt tantum a iudicibus ordinariis et quidem per se ipsos, id est, I. A cardinali vicario, ejusque vices gerente, et locum tenente in civilibus. II. A gubernatore et ejus locum tenente in civilibus. III. Ab auditore generali camerae apostolicae et duobus ejus locum tenentibus in civilibus. IV. A senatore ac duobus ejus collateralibus. V. A pauperum avvocato pro solis pauperibus, et domi suae tantum, vel in carceribus, et gratis omnino, etiamsi aliquid sponte ipsi detur. Insuper pro validitate hujusmodi decretorum exprimenda sunt in instrumento utilitas contractus, et jura seu scripturae, ex quibus evincitur talis utilitas; interposito iudicium juramento super visura dictorum jurium a se facta, sub poena iudicibus et eorum notariis imposita refectionis damnorum directe, et in solidum cum altera parte contradicente, et nullitatis contractus, non obstante quocumque juramento a mulieribus, minoribus et gra-

puberibus interposito, prout in citata constitutione. (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 192). »

ADNOTATIO XII.

Lib. I. Tit. XXXII, § III, n. 69, pag. 39.

DE DEPUTANDO LITIGANTI ADVOCATO.

« Ex decretali Honorii III, *Ex litteris*, eod. tit. eruitur quod, si una ex partibus litigantibus imploret pro sua defensione officium judicis, hic tenatur ei advocatum deputare. Verum licet olim id in usu fuerit quando scilicet advocatis ex publico arario salaria dabantur juxta leg. *Nec quisquam*, ff. *de Off. procons.* § *Advocatus* et § *An praetor*, ff. *de Post.*; hodie tamen, cum salaria ista cessaverint, quisque sibi providere debet prout potest, nisi agatur de litigantibus pauperibus, quibus et hodie iudex assignare debet advocatum fere ubique locorum cum salario, aut ex publico arario, aut ex priorum testatorum relictis destinandum, ut in regno Neapolitano, in Gallia et Germania, ac in hac ipsa urbe Romae, in qua hunc ad finem instituta est congregatio S. Ivonis et praelatura Amadori. (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 192). »

ADNOTATIO XIII.

Lib. I. Tit. XXXIII, De majoritate et obedientia, n. 8, pag. 41.

DE CLERICIS ORDINATIS A PAPA.

« Juxta magis receptam canonistarum sententiam, licet ordinatus a Papa non eximatur ab ordinarii jurisdictione, si tamen suspendendus vel deponendus esset ab ordine per Papam collato, ad hunc transmitti deberet processus ab episcopo constructus pro sententiae prolatione, propter obsequium summo Pontifici debitum; Hallier. part. II, sect. V, cap. III, art. 9, § 4. n. 6. (Giraldu, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 194). »

ADNOTATIO XIV.

Lib. I. Tit. XXXIII, n. 33, pag. 44.

CLERICI SUUM ORDINEM CORAM LAICIS IN DIGNITATE CONSTITUTIS NON DEHONESTENT.

Huc recurrit caput XVII *de Reform.* sess. XXV concilii Tridentini: « Non potest sancta synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos, sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum regum ministris, regulis et baronibus, in ecclesia et extra, indecenti quadam demissione se gerunt et veluti inferiores ministri altaris nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hoc et similia detestans sancta synodus, sacros canones omnes, conciliaque generalia atque alias apostolicas sanctiones ad dignitatis episcopalis decorem et gra-

vitatem pertinentes renovando, praecipit ut ab hujusmodi in posterum episcopi se absteant; mandans eisdem ut, tam in ecclesia quam foris, suum gradum et ordinem praes oculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; reliquis vero tam principibus quam caeteris omnibus ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur. »

Illud caput, ad mentem concilii, debita cum proportione, omnibus clericis est applicandum.

ADNOTATIO XV.

Lib. I. Tit. XXXIII, n. 38, pag. 45.

DE PRAECEDENTIA INTER PERSONAS ECCLESIASTICAS.

« Cum ad majoritatem spectent gradus praecedentiae inter personas ecclesiasticas, recensentur ii, quibus haec praecedentia competit, ex Remigio Maschat, in *Instit. canonic.* hoc eod. tit. n. 3: « I. Papa antecellit omnes in Ecclesia, tanquam pastor universalis. II. Cardinales episcopi, presbyteri et diaconi, ex dispositione Bonifacii VIII et Clementis V, quibus etiam Urbanus VIII, anno 1630 die 10 junii, titulum eminentiae attribuit cum alias dieti fuerint illustrissimi. III. Patriarcha, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus et Constantinopolitanus, qui deinde tribus prioribus praelatus est. IV. Primates, archiepiscopi, episcopi, praelati et tandem caeteri clerici. V. In dioecesi primum locum obtinet episcopus; hunc de jure communi sequitur vicarius generalis, archidiaconus, archipresbyter et alii canonici: Sede autem vacante, vicarius sequitur decanum qui primam dignitatem obtinet in ecclesia cathedrali. At de consuetudine praesertim Germaniae vicarius, si canonicus est, obtinet locum sui canonici; si vero non est canonicus, sequitur canonicos. Deinde veniunt canonici collegiati, decani rurales, parochi et reliquis clerus saecularis. VI. Clerum saecularem excipit clerus regularis, in quo de jure praecedentiam habent canonici et clerici regulares, tum monachi, ac deinde mendicantes. De consuetudine saepe aliud observatur. VII. In concursu cleri saecularis et regularis, abbates et praelati regulares praecedunt canonicos etiam cathedralis solitarie incidentes, quia his praeminent jurisdictione, licet consuetudo aliud habeat in certis locis. Si autem canonici collegialiter incedant cum suo episcopo, praecedentiam habent ante abbates et praelatos regulares, quia hoc modo representant Ecclesiam cathedralem quae dignior est abbatiali; haec vero post episcopalem dignior est aliis dignitatibus et ecclesiis; can. 12, *Si quis* XVI, quaest. 7. »

« Circa praecedentiam protonotariorum apostolicorum haec habet laudatus Remigius loco citato n. 4: « Protonotarii, seu primi notarii participant, sunt personae in dignitate ecclesiastica constitutae, speciale officium in curia romana obtinea-

tes; erantque olim septem per septem Urbis regiones deputati ad conscribenda gesta martyrum; hodie vero sunt duodecim, ex constit. Sixti V incip. *Romanus Pontifex* et alia *Laudabilis*, quorum officium est adnotare ea quæ in publicis consistoriis geruntur et conficere instrumenta authentica si rogentur. Hi ex privilegio dicti pontificis exempti sunt a jurisdictione ejuscumque ordinarii. Post episcopos proximum dignitatis locum obtinent et facultatem creandi doctores et notarios publicos, legitima di spuriis ad successiones hæreditarias, arma deferendi, testandi de bis mille ducatis proventuum ecclesiasticorum. »

» Ex constit. Benedicti XIV *Inter conspicuos*, 29 aug. 1744, § 23, nequeunt promovere absentes ad gradus doctoratus; presentes vero in Urbe, non nisi sex in singulos annos, servatis conditionibus ibidem præscriptis.

» Protonotarii honorarii, seu titulares seu non participant, sunt qui præcise honorem hujus nominis obtinent cum certis privilegiis ut deferendi rochetum et mantelletum coloris nigri vel violacei, utendi pileo super suis insignibus, exequendi litteras apostolicas, etc... et hi preferuntur quidem aliis clericis nullam dignitatem obtinentibus; non tamen prælatis regularibus ut generalibus, provincialibus et localibus, cum hi, ob jurisdictionem fori externi sint propriæ dignitates ecclesiasticæ. Plura de his vide apud Barbosam lib. I, cap. XIII *Jur. eccl. universi*.

» Circa præcedentiam inter reliquos clericos, hæc acquiritur: « I. (Ita prosequitur idem Maschat n. 3.) Ex titulo altioris ordinis, vi cuius sacerdos præferendus est diacono, cap. xv, hoc tit.; sed hoc non observatur inter canonicos qui præcedentiam desumunt ex antiquitate ob consuetudinem approbatam, cap. fin. de *Consuetudine* in 6. II. Ex titulo dignioris ordinantis, ut ordinatus a Papa reliquis præferatur, cap. vii, hoc tit. III. Ex titulo prioritatis temporis, qualiter seniores parochi præferuntur junioribus, cap. i, hoc tit. IV. Ex privilegio, sicut patriarchatus Constantinopolitanus tribus prioribus prælatus est in concilio Constanti-nopolitano I, can. 5; qui canon prius ab Ecclesia romana rejectus deinde tamen approbatus est, cap. xxiii, de *Privilegiis*.

» Circa præcedentiam inter regulares utriusque sexus ejusdem ordinis hæc semper desumenda erit a die professionis et non receptionis habitus ut ex decreto Congr. episc. et regular. in *Ravenn.* 12 sept. 1588 et in *Augustinianor. Lombardiæ* 7 januar. 1654. Si duo simul admissi fuerint vel ad habitum vel ad professionem, etiamsi admissio facta fuerit in alio monasterio, ille præcedet qui prius in capitulo acceptatus fuerit, quamvis quis vellet cedere juri suo, non obstante qualibet contraria consuetudine quæ declaratur abusus, dict. congr. in *Neapolitana* 23 nov. 1592 etc... relatis a Ferraris *Prompta bibliotheca*, in opere et supplem.

Vº *Præcedentia*, et Congr. concil. pro monialibus 1608 in *Paduana*, relata a Barbosa in *Summa apostolic. decis.* Vº *Præcedentia* n. 29. Ratificans professionem nulliter emissam præcedet a die ratificatæ professionis, Congr. conc. 1 oct. 1672, in dab. præcedentiæ rel. a cardin. Petra *Comm. ad const.* VIII Eugenii IV, n. 17. Professus bona fide ante tempus præcedet a suo 16 annorum, Congr. episc. in *Basilianensium* 23 nov. 1648, relata a Ferraris loc. cit. Laicus factus clericus ex dispensatione apostolica præcedet a die professionis clericalis, ead. Congr. rel. a Ferraris, ibidem.

» Circa præcedentiam tam inter canonicos, parochos, cæterosque cleri secularis, quam inter canonicos regulares, monachos, mendicantes, in processionibus et synodis, necnon confratres confraternitatum, vide fese allata ab eodem Ferraris loc. cit. et signanter constitutiones Gregorii XIII et Urbani VII ac quamplura decreta Congr. Rituum, ibidem relata. Sed de præcedentia in processionibus instituetur sermo part. II, cum de cap. Trident. sess. XXV, de *Regularibus*.

» Notandum est autem circa præcedentiam debitam personis ecclesiasticis ratione dignitatis, hanc in aliquibus circumstantiis non deberi a personis, licet sint inferioris ordinis aut dignitatis, vel ratione jurisdictionis, vel officii, vel representationis, ut notantur Hostiensis, Joan. Andreas etc... Sic archidiaconus, licet inferior sit archipresbytero ratione ordinis, ratione tamen jurisdictionis eum præcedit; quidquid sit an illi hoc competat ex proprio jure, aut ex consuetudine, ut ex hac et usurpatione provenisse probat in Hispania Hallier. *Hierarch. jurisd.* lib. IV, art. 3. Sic præcedit etiam episcopus et archiepiscopus qui, vel ratione officii, vel representationis, gerit vices alterius personæ his superioris. Nec absonum videri debet, cum diversis respectibus possit quis esse inferior et superior alio; Benedictus XIV, epist. *Inter plures* 11 madi 1754 § 16.

» Hac motas ratione idem Benedictus, cum quidam episcopi, more convictorum in collegio ecclesiastico de Urbe degentes, contendissent me rectoris munus in eodem obeuntem antecellere, post relationem hujus pretensæ præcedentiæ ipsi factam a bon. mem. cardin. Guadagni, ejusdem collegii protectore, sub die 12 aug. 1756, declaravit hanc, tam iis quam aliis quibuscumque episcopis et archiepiscopis qui in posterum ibidem moram facturi essent minime competere, sed mihi, ut cuiuscumque rectori pro tempore, tanquam capiti collegii, representanti personam Eminentissimi protectoris, ut ex sequenti authentico decreto, asservato in archivio ejusdem collegii.

» Ex audientia Sanctissimi. Die 12 aug. 1756 — » Cum rector collegii ecclesiastici sit caput ejusdem collegii et representet personam nostram et protectoris pro tempore dicti collegii, Sanctissimus declaravit eidem actuali rectori, aliisque pro tempore existentibus, competiisse et competere præcedentiam intra idem collegium tam in

» sedendo quam in quibuscumque actibus, tum in oratione, tum in communi mensa, aliisque collegii locis, supra quoscumque archiepiscopos et episcopos, ibidem more convictorum degentes, et qui fortasse in posterum degent. Quantum autem ad delationem ciborum in publica mensa mandavit separari deferendos esse primum rectori pro tempore, et postea eisdem archiepiscopis et episcopis, in disco continente tot numero separata obsonia quot erunt archiepiscopi et episcopi comprehenso rectori; patribus vero œconomis, et confessario pro tempore ejusdem collegii deferendos esse ante omnes alios convictores. Tabula autem in qua sedebit rector sit separata et media inter tabulas, in quibus sedebunt tam predicti archiepiscopi et episcopi quam œconomus et confessorius, ita ut illi sedeant in tabula a dextris, isti in tabula a sinistris sita ante omnes convictores. Et ita, auctoritate Sanctissimi, inviolabiliter servari mandamus. J. A. card. Guadagni, protector. »

» Ad Papæ majoritatem et obedientiam spectat ut omnes per universum orbem episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchæ statutis temporibus a Sixto V, const. *Romanus Pontifex*, 20 dec. 1585, ex veteri Ecclesiæ more, can. 4. *Juxta*, dist. 93, visitare debent limina Apostolorum, et suarum Ecclesiarum statum referre juxta instructionem Congr. conc. impressam in appendice tomi I. *Bullarii* Benedicti XIV, n. 1. Ad hujusmodi visitationem teneri etiam episcopos titulares, ac etiam administratores datos alicui episcopo in legitima ætate nondum constituto, non vero coadjutores, probat idem Benedictus, Pb. XIII de *Syn. diacc.* cap. vi, n. 5, edit. anni 1753, cum Fagnano et Thomassino, si non ratione relationis status Ecclesiarum, quas actu non habent, saltem ratione debite Romano Pontifici submissionis et obedientiæ, qui est alter finis demandatæ visitationis; quod tamen non valetur usu receptum.

» Sixti constitutionem confirmavit dictus Benedictus, 23 nov. 1740, const. *Quod sancta*, eamque extendit ad omnes et quoscumque abbates, priores, præpositos, aliosque quocumque nomine ac titulo insignitos, etiam S. R. E. cardinales, tam seculares quam regulares, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, jam promotos et promovendos: qui antequam suorum monasteriorum seu Ecclesiarum possessionem adipiscantur, juramentum prestare debent, juxta formulam in dict. constit. descriptam, in manibus cardinalis decani, si presentes sint in curia, sin minus in manibus nunciæ aut legati apostolici, et, si hic absens fuerit, in manibus alicujus episcopi aut archiepiscopi, eorum arbitrio eligendi, se ejusmodi visitationem personaliter peracturos, ac de sibi commissa monasteriorum et Ecclesiarum procuracione relationem Romano pro tempore existenti Pontifici reddituros singulis trienniis, a die captæ possessionis incipiendis, si sint Itali vel ex insulis et provinciis Italiæ adjacentibus; reliqui vero quinto quoque

anno: quibus respective temporibus completis, repetere toties quoties tenentur, sub pœnis Papæ reservatis ipso facto incurrendis ab omittentibus prædictas relationem et visitationem suspensione ingressus ecclesiæ, administrationis tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum monasteriorum seu ecclesiarum, interium exigendorum ab episcopo vel archiepiscopo, monasterio, aut ecclesia nullius viciniori, et insumentorum in opus fabricæ seu ornamentorum ecclesiæ emptionem, prout magis exegerit necessitas.

» Si vero legitime impediti fuerint, jurare debent se prædicta omnia adimpleturos vel nuntium in dignitate ecclesiastica seculari vel regulari constitutum, qui sit de gremio suorum monasteriorum vel ecclesiarum, aut per aliquem sacerdotem sæcularem vel regularem, qui tamen docere debent de impedimento, legitimis probationibus cardinali de Congr. conc. præfecto exhibendis.

» Circa hanc visitationem quoad omnes episcopos, vide late scripta a Fagnano in cap. IV, *Ego N. Episcopus, de Jurejurando*. (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, appendix ad tit. de *Majoritate et obedientia*.) — Cf. Adnotat. LXI volum. primi.

ADNOTATIO XVI.

Lib. I. Tit. XXXV, De pactis, § III, n. 79, pag. 59.

DE PACTIS A REGULARIBUS INITIS.

» Cum regulares mendicantes recusant servare pacta, de quibus hic sermo est (cap. *Quia ex eo*, hoc eod. tit.), quia facta non fuerant de consensu generalis seu provincialium, nec a capitulis approbata, his non obstantibus Bonifacius VIII servanda esse hic statuit.

» Verum et huic decretali derogatum est per extrav. *Ambitiosa*, de *Reb. eccl. non alien.* Cum enim jura perpetua, qualia sunt privilegia funerandi regularibus concessa, computentur inter bona immobilia, illorum cessio et renuntiatio fieri nequit juxta eandem Extravagantem sine beneplacito apostolico, etiamsi interveniat consensus inferiorum superiorum.

» Ita etiam declaravit congr. Concilii ex decreto, jussu Urbani VIII, edito 7 sept. 1624, quoad omnes regulares, etiam militares, existentes intra fines Europæ; unde servari debet dicta Extravagans et Clementina I, de *Reb. eccl. non alienandis* (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 206). »

ADNOTATIO XVII.

Lib. I. Tit. XXXVII, De postulando, § I, n. 22, pag. 81.

AN CLERICI POSSINT PATROCINIUM CAUSARUM ASSUMERE CUM JUDICE?

» Decretalis *Clerici*, hæc eod. titulo, prohibens clericis, aut in sacris ordinibus constitutis, qui dumtaxat redditibus ecclesiæ seu beneficii susten-

tantur, assumere patrocinium causarum coram iudice seculari extra casus hic expressos, ampliata est a Gregorio IX sequenti decretali, relata in cap. III, hoc eod. titulo, extendente hujusmodi prohibitionem ad quemlibet sacerdotem, etiamsi ex redditibus Ecclesie non sustentetur, ut eam legenti patet.

» Circa advocacionem causarum coram iudice laico a sacerdotibus aliquando exercitam, nimis indistincte locuti fuerunt Octavianus Vestrius in sua *Pract. lib. III, cap. IV, n. 4*, et Stephanus Gratiani *Discept. foren. cap. LVII, n. 38*, et Majolus, *De regul. lib. V, cap. XIX, n. 4*, asserentes ex tolerantia Pontificis servatum esse ut clerici in Romana curia advocacionis et procuracionis publica munera exercent contra juris regulas, quasi impune et sine ulla limitatione id permittatur; cum ceteroqui certis dumtaxat conditionibus hujusmodi facultas concedatur, prout animadvertit etiam hac in re Benedictus XIV, *de Syn. dioc. edit. ann. 1755, lib. XIII, cap. X, n. 12* per hæc verba ibi: « Sacerdoti enim seculari, qui scientie et juris peritiæ famam sibi comparavit, indulgetur ut, in tribunalibus etiam laicalibus, possit tam civiles quam criminales causas agere, prout advocati laici solent, dummodo in criminalibus judiciis ad defensionem tantummodo scribat et agat; nec ei interdicitur quin laborum procerium possit exposcere: superadditur tamen eo usque advocacionis exercitium eidem permitti quo usque certos ecclesiasticos redditus in congruam sustentationem aut beneficium residentiale fuerit assuetus. Unde patet dispensationem in hanc finem ipsi concedi ut habeat unde honestum sibi victum valeat comparare (Giraldus, *Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 207*). »

ADNOTATIO XVIII.

Lib. I. Tit. XXXVIII. De procuratoribus, § II, n. 44, pag. 91.

AN FILIUSFAMILIAS POSSIT, INVITO PATRE, ESSE PROCURATOR?

« Decretali *Non injuste*, hoc titulo, in qua sine ulla limitatione statuitur constitui posse procuratorem ad judicia filiumfamilias, nec esse a iudice rejiciendum, accessit decretalis Bonifacii VIII, relata in cap. V *Qui generaliter*, hoc eod. tit. in 6, declarans constitui posse sine consensu patris, nedum ad judicia, sed etiam ad negotia, cum hac tamen distinctione quod, si deputetur ad negotia, debeat esse major XVII annis, si vero ad judicia, XXV (Giraldus, *Expos. jur. pontif. part. I, sect. 209*). »

ADNOTATIO XIX.

Lib. I. Tit. XXXVIII, § III, n. 71, pag. 95.

DE MATRIMONIO PER PROCURATOREM CONTRACTO.

« Statuit Pontifex, decret. *Procurator* hoc eod. titulo, validum esse matrimonium contractum per

procuratorem cum speciali mandato ad hoc constitutum; cui sanctioni non defuerunt auctores qui senserint derogatum fuisse a concilio Tridentino cap. I, sess. XXV, de *Reform. matrim.* præcipiente ut contrahatur coram paroco et testibus, cumque hi, quando contrahitur per procuratorem, neque oculis suis conspiciant contrahentes, neque auribus suis ex eorum ore percipiant consensum, inde inferunt non esse validum.

» Verum, cum concilium addiderit tantum præsentiam parochi et testium, noluit de medio tollere hujus antiqui juris dispositionem, dummodo procurator coram iisdem contrahentium consensum exprimat, juxta tritas regulas *De regulis juris* in 6. « Potest quis per alium quod potest facere per seipsum. — Qui per alium facit per seipsum » facere videtur. » Et hoc nedum est communis opinio, et in praxi ubique recepta, sed etiam apostolica auctoritate firmata ex *Rituali Romano*, jussu Pauli V edito, tit. de *Sacramento matrimonii*.

» Hic quæri posset an qui matrimonium per procuratorem contraxerunt, illud iterum ipsimet coram paroco et testibus contrahere, vel saltem ratum habere debeant. Quidquid pro parte affirmativa nonnulli senserint, communis tamen sententia est alterutrum prudenter consuli, non autem necessarium esse, ut probat Benedictus XIV, cum doctoribus cumulate citatis, lib. XIII, cap. XXIII, n. 9, *De syn. dioc.*, edit. ann. 1755 (Giraldus, *Expos. jur. pontif. part. I, sect. 210*). »

ADNOTATIO XX.

Lib. I. Tit. XLII, de alienatione judicii mutandi causa facta, n. 15, pag. 150.

CONTRA CALLIDITATEM IMPETRANTIUM.

« Nihil quidem novi, inquit Giraldus, ex jure canonico huic titulo accessit. Ad eum tamen reduci posset hoc sequens decretum Innocentii XII sub die 4 junii 1692, relatum in ejus bullario parvo n. 59: « Ut occurratur impetrantium calliditati, qua sæpius vel iidem oratores vel eorum procuratores ac sollicitatores, sive alii quicumque agentium aut expeditorum nomine nuncupati, litteras gratiæ vel justitiæ, cum valde notabili ipsius justitiæ ac publici boni et quandoque animarum etiam præjudicio, in aula et curia Romana subripere conantur, Sanctissimus Dominus noster Innocentius divina providentia Papa XII expresse præcepit et mandavit quod si quis in posterum preces, sive supplices libellos in materia gratiæ vel justitiæ alicui ex sacris congregationibus Urbis quomodolibet obtulerit seu præsentaverit, ita ut ab eadem sacra congregatione vel in totum vel in parte fuerint rejectæ, aut alias ipsa et congregatio, mediante præfata præsentatione precum præventa, manus quomodocumque desuper apposerit, nequeat ullo modo idem negotium, causam vel petitionem ad alteram ex SS. Con-

gregationibus, etiam mediante rescripto Sanctitatis Suae (quod in hoc casu importune et subreptitè Sanctitas Sua censi voluit extortum) sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore, etiam simplicitatis et ignorantie, deferre, vel primam Congregationem sponte a principio aditam declinare, alias rescripta, decreta quæcumque, indulta, gratiæ, litteræ, resolutiones vel provisiones a secunda sive altera Congregatione impetrata vel impetranda, necnon litteræ apostolicæ, quas illorum vel illarum vigore desuper expediri contingeret, haberi debeant omnino pro subreptitè extortis, nulliusque penitus sint roboris vel momenti, nec ullatenus in judicio vel extra suffragari possint et valeant, perinde ac si non emanassent. »

« Præter dictam nullitatem præcipit ut nedum attentantes contra hoc decretum puniri possint pena carceris, vel alia arbitrio alterutrius Congregationis, sed etiam: « Quod procuratores, sollicitatores, agentes et expeditores hujusmodi, ubi ipsi sint qui, ignara parte seu principali, attentaverint, omnino teneantur ad refectionem omnium expensarum atque damnarum, quas vel quæ per suos principales hac de causa pati contingeret vel contingeret, atque ad id summarie per eundem secretarium, facto tamen, ut supra, verbo in ipsa Congregatione, opportunè juris et facti remediis compelli possint et debeant (*Expos. jur. pontif. part. I, sect. 214*). »

ADNOTATIO XXI.

Lib. I. Tit. XLIII, De arbitris, § V, n. 111, pag. 165.

AN TANQUAM ARBITRI A PARTIBUS ELECTI, AUT TANQUAM JUDICES AB ECCLESIA CONSTITUTI, EPISCOPI PRIORUM SÆCULORUM JUDICIA PRONUNTIAYERINT, IN CAUSIS ETIAM TEMPORALIBUS?

Circa hanc questionem sic se habet DD. Bouvier, episcopus Cenomanensis in Gallia, *Préc. histor. et canon. sur les jugements ecclésiastiques*, Paris, Leroux et Jouby, 1832: « Aucun catholique ne peut contester que les évêques, successeurs des Apôtres, n'aient exercé comme eux de véritables jugements en matières correctionnelles et criminelles. Nous les voyons constamment appliqués à redresser les torts, à réprimer les scandales, à corriger les coupables, à décerner des peines contre les rebelles, afin de maintenir la pureté des mœurs et la régularité de la discipline aussi bien que l'intégrité de la doctrine. En fait de doctrine, ils étaient des juges sérieux et réels, personne ne peut le nier; ils ne l'étaient donc pas moins en ce qui concerne les mœurs et la discipline. Les mœurs d'ailleurs sont réglées par la doctrine, et l'observation ou la violation des lois disciplinaires tient essentiellement aux mœurs des chrétiens et surtout des clercs. Point de difficulté à cet égard (Zallinger, *Inst. jur. ecclésiast. priv. t. I, pag. 348*, édit. Rom. 1832.)

» Restent les jugements ecclésiastiques touchant les affaires temporelles soit des fidèles, soit des clercs entre eux ou vis-à-vis des laïques. Les évêques en connaissent, cela n'est pas douteux, d'après ce que nous avons vu. Mais en connaissent-ils comme arbitres choisis par les parties, ou comme juges dont elles ne pouvaient décliner la juridiction? Procédaient-ils par voie de composition amiable, de simple arbitrage, ou par forme de jugement au moins quant à la substance? Là-dessus les auteurs ne sont pas d'accord. Blondeau (t. I^{er}, pag. 757), Fleury (7^e discours, n^o 2, t. XIV), d'Héricourt (E, XIX), et généralement les canonistes français, auxquels il faut joindre Van-Espen (part. III, tit. I, cap. 1.), soutiennent que les évêques n'étaient que des arbitres qui intervenaient pacifiquement pour arranger les affaires à l'amiable. Au contraire, Devoti (savant canoniste, né à Rome en 1744, professeur de droit-canon à la Sapience, camérier et secrétaire de Pie VII, archevêque in partibus de Carthage; *Institutiones canonice* 4 vol. in-12 ou 2 in-8^o, citant un grand nombre d'autorités (t. III, pag. 18, 20 et suiv. édit. Rom. 1818), est fortement d'avis que, même dans ces sortes d'affaires, les évêques étaient de véritables juges; que les fidèles et les clercs qui avaient des différends à vider n'étaient pas libres de les choisir comme arbitres ou d'aller devant les tribunaux civils; que, d'un autre côté, les évêques étaient tenus par leur ministère d'accueillir les causes qui leur étaient déferées, d'entendre les raisons pour et contre, de concilier les parties et, s'ils ne le pouvaient pas, de prononcer avec autorité, comme le dit saint Augustin (*De opere monach. n. 37, t. VI, col. 499*). »

Hic referre juvat sanctissimum D. N. Pium Papatum IX damnasse litteris encyclicis *Quanta cura*, 8 dec. 1864, propositiones sequentes:

« XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas, plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesie jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat (Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854. — *Multis gravibusque*, 17 dec. 1860. — *Maxima quidem*, 9 junii 1862).

» XXIV. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam (Litt. apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1832).

» XXV. Præter potestatem episcopatus in hærentem, alia est attributa potestas a civili imperio, vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio (Ibid.).

» XXVII. Sacri Ecclesie ministri, Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi (Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862).

» XXX. Ecclesie et personarum ecclesiasticarum